

DECANVS ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
IO. GEORG. ROEDERER D.

P. P. O.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE

MEDICINAE CANDIDATI

GEORGII AVGVSTI KOERBER

HANNOVERANI

D. XXIII. OCT. MDCCLX. *1760*

HABENDAM

INDICIT

P R A E M I S S I S

DE INFANTIBVS IN PARTV SVFFOCATIS
OBSERVATIONIBVS


SDq 30

25

GOTTINGAE

OFFICINA SCHVLTZIANA, Curante F. A. ROSENEVSCH.

657006075
SDq 30/25



DE INFANTIBVS IN PARTV
SVFFOCATIS.

*Quae de mortuis in partu infantibus, ad col-
lustrandam maxime medicinam forensam
a. 1754. in Progr. de suffocatis annotati, nouis
ab hinc obseruationibus confirmati, quarum praeci-
puas ex aduersariis meis recensero, tanquam noua
propositarum doctrinarum documenta.*

I.

PVER IN PARTV EX PRESSO FVNE
MORTVVS.

De partu, quo foetus natus est, disserui in
obseruat. de partu laborioso XVI. Perit
puer ex pressione funis inter peluis ossa & pro-
prium

prium caput dependentis, a cuius demum morte perforatorium applicitum est. In cadauere obseruata sunt. (1) Totum corpusculum, inflatum quasi, tumet; duri succis congestis artus sunt; molliusculum abdomen flatu turgere videtur. 2) Liuent facies & scrotum, passimque corpusculum insignes maculae liuidae distinguunt. 3) In inguinum regione meconium, in mortis agone procul dubio effusum, cutem foedat. Humor etiam fuscus naribus, nihil ore, effluxit. 4) *Sanguinis vis maxima in abdomen congesta est*: ita liuidum hepar, qua sede ante costas pendet, & in superficie caua, molle, friabile, sanguinis plenissimum, ex facili, membranam externam dimittit; pallidius in conuexa superficie, pone costas. Tota expansio peritonei, quae etiam viscerum membranas format, atque posterior, quae renes tegit, cunctaque vasa mesaraica sanguinis plenissima sunt, floridi arteriosa, liuidi venosa. 5) *Moderatior in thorace sanguinis congestio est*; inflammata pericardium & pleura diaphragma vestiens, superiorem thoracis regionem & pulmones;

le-

leuissima ad inferiorem thoracis sedem inflammatio est. 6) Caua thoracis sicca sunt: modica liquoris acris, falsi, leuiter flauescens copia in pericardio fluctuat. 7) Sueto more integer & in partes diuisus pulmo in aqua subsedit. 8) Distincta quasi anatomica arte in scroto vasa sunt. Inferior pars scroti gelatinae consistentis plena est. Copiosa materies sebacea inter glandem & cutem latet. 9) Ventriculus plenus pulpae tenacis, mucosae, crassae, pallide fuscae, versus pylorum rubescens, cum remixtis exiguis massulis albis. 10) Intestini duodeni membrana villosa, in vicinia ventriculi, tota inflammata & nigris maculis picta est. 11) In duodeno similis pulpa tenax, leuiter primum fusca, dein flauescens & parciore fit. Major pulpa flauescens copia in jeuno distribuitur. Viridior in progressu intestinorum massa fit, tota viridis in ileo. Meconium crassorum copiosum vix colore ab ilei contentis differt, pallide viride. 12) Vesicula bilis modice plena, rubentis, parum amaricantis & acris, crassae, tenacisque cum remixtis flocculis flauescens 13. 14).

a 3

15)

15) Ventriculus velut in farcimen vel intestinum contractus est, compressus a parte anteriori ad posteriorem.

2.

PVERI IN PARTV, EX PRESSO, IN ANGVSTA
 PELVIS APERTVRA SVPERIORE, CAPITE
 OBLIQVO MORTVI.

(a) Partus, quo foetus natus est, ratio exponitur in *Diss. de non damnando vsu perforatorii in paragomphosi ob capitis molem. obs. 2.* Observaui
 1) 2) Inflammatum scrotum. Liuent vngues. 3)
 4) *Sanguinis vis in thoracem congesta* est. Lata & copiosa ecchymomata in pericardio & pleura, pericardium tegente, passim in reliquo pleurae ambitu, & copiosissima in pulmonibus disseminantur. Rami vasorum sanguinis plenissimi sunt, floridi arteriosorum, liuidi venosorum. Ecchymomata etiam in cordis superficie comparent, praecipue in vasorum vicinia, quorum etiam ductu sanguis ruber in cellulosam effusus est. Liuidi pulmones sunt. Parum sanguinis in arteria aorta est, paulo copiosior in pulmonaria,

itaria, modica quantitas in aure anteriori, major multo in posteriori. *Plenae etiam sanguinis sunt partes abdominis.* Liuidus lien, sanguine refertissimus. Liuidum hepar. Renes rubri & modice inflammati. Ventriculi etiam, intestinorum & vesicae vrinariae vasa plena sunt. Inflammata est vesicula fellea. Non multum inflammationis in pelui est. Extremitatum arteriae vacuae sunt, plenae venae. 5) Venae jugulares & arteriae carotides sine sanguine sunt. (Perforatorio dura mater aperta, ossis bregmatis sinistri pars superior extracta, & sinistrum cerebri haemisphaerium, dextro relicto, expressum est). 6) Modica aquae flavescentis in abdomine, utroque thorace, & parca copia in pericardio est. 7) Sueto more integer & in partes diuisus pulmo in aqua subsedit. 8) Liquor gelatinosus, cinereus, cellulosam scroti distendit, cum copiosis vasculis inhaerentibus. Testiculi inflammati, cum ecchymomatibus in epididymide, sunt: tunica conjunctiua aquam flavescentem continet. Inter initium epididymidis & testem utrimque varix est. Vasa etiam spermatica



tica sanguinis plena sunt. Liquor albus, modice crassus ex vrethra premi potest. 9) Ventriculus plenus mucii cinerei, crassi. 10) 11) In duodeno similis pulpa tenax, vsque ad infertionem ductus choledochi est, qua sede naturae bilis particeps fit, in jejuno sensim crassior. In colo transuerso parum bilis flauae & crassae est; vix aliquid in colo sinistro: versus intestinum rectum meconium formatur pallidum, & ex flauo-viride. 12) Vesicula bilis plena, obscure viridis, rubellae & tenacis. 13) Copiam mucii, qualis in ventriculo est, trachea & pulmones continent: quo vero oesophagus vacuus est. 14) Plenissima vrinae vesica est. 15) Ventriculus parum inflatus, intestina collapsa & contracta sunt. 16) In vasis sanguineis thoracis & abdominalibus globulos aereos inter sanguinis columnas vidi. Vasa etiam spermatica, cum ejusmodi globulis aëreis, sanguinis plena sunt. Natus puer. d. 27. Jun. 1757. dissectus. d. 30. e. m. Nondum autem, vt aer euolui potuerit, computruisse cadaver, ex pulmonum pondere (n. 7.) intelligi potest.

b) Si-



b) Similia fere sub similibus circumstantiis obseruavi in foetu obseruationis 4tae Diff. cit. Totum nempe corpus rubuit passim, cum inflato collo, in cuius ambitu sanguis effusus est. Liuent labia oris, lingua & compressus natus. Rubent inflatae genae, simile scrotum, & auriculae. Sanguinis vis in abdomen & thoracem congesta est; arteriae venaeque umbilicales sanguine refertissimae sunt. Modica viscerum inflammatio est, hepar ex fusco rubellum. Abdomen liquoris rubri, siue potius sanguinis; plenum & intestina contracta sunt.

3.
PVELLA IN PARTV, EX PRESSO, IN ANGVSTA
PELVI, CAPITE MORTVA.

1°) Corpusculum succulentum, bene nutritum, inflatum quasi tumet. 2) Tota cutis florida est. 3) Insignis tumor ad occipitium & posteriorem ossis bregmatis partem eleuatur. 4) *Sanguinis vis in thoracem congesta est.* Omnis sinuum, cordis, & arteriarum majorum superficies ita inflammata est, vt distincta quasi anatomica arte minora etiam vascula sint. Substantia pulmo-

b

mo-

monum incisa in margine florida, in medio livida est. 5) *Vasa etiam viscerum abdominalium, intestinorum praecipue & mesenterii, copioso sanguine turgent*, quin ipsa viscerum substantia sanguine tineta est. Per omnia etiam genitalia inflammatio diffunditur. Mirifice tument sanguine ovaria, multoque, quam in aliis foetibus, majora sunt, in ipsam substantiam sanguine, ut videtur, effuso. In utero etiam substantiam sanguis ita sudavit, ut refertissimus cruore sit fundus, vacua cervix & sensim cruoris copia a fundo ad cervicem minuatur. Parcior tamen in utero, quam in ovariiis, sanguis est. Notabilis macula, ex inflammatione nata, anterioris labii superficiem distinguit. Sanguinis subfluidi plenae sunt aorta descendens & vena caua, ex thorace in abdomen migrantes. Diues quoque sanguinis est utraque capsula suprarenalis. Sinistra ecchymosi sanguinis congelati & pertinaciter ipsi capsulae adhaerentis tegitur. Disruptus apex anterior in lacinias quasi defluxit, nato malo ex suffocatione, non autem praeparatione anatomica. 6) In pericardii aequae, ac utroque

que thoracis cauo aliquid feri sanguinolenti fluctuat, cujus etiam notabilis copia in abdomine est. 7) Sueto more pulmones, collapsi, compacti, obscure rubri, non spongiosi, in acinos conspicuos, lineis e fusco-nigris circumscriptos, distincti, sine villo vesicularum aerearum vestigio, tum cordi reliquisque thoracis visceribus juncti, tum soli, tum integri, tum in partes divisi, in aqua fundum petunt. Neque percussa pulmonum substantia sub forfice strepitum illum elasticumque impedimentum edit, quod ab aere pulmones distendente proficiscitur, neque sectionis superficies spumat. 8) Glandula thymus saturati coloris rubri est, sanguinis succorumque plena. 9) Ventriculus plenus mucii albi, tenacis, pellucis. 10) Modice inflammata est tunica villosa ventriculi. 11) In duodeno mucus sensim flavescit, & ad insertionem ductus cholechochi rubet. In jejuno parum mucii albi, tenacis & opaci est, qui in ileo flavescit & viridatur, similis lactis congelati, atque versus colon flavescens & semipellucens mucosus remixtus. Crasorum tunicae flavo colore distinguuntur à me-

b 2 conio

conio crasso, primum flauo, dein viridi. 12) Multum cruoris subfluidi ex magnis colli resectis vasis sanguiferis arteriosis venosisque, à parte capitis, profluit. 13) Insignis tumor superiorem occipitii partem occupat & in latere dextro ultra totum frontis os exporrigitur. 14) Resecta integumenta multum inflammata sunt. 15) Dextrum cranii latus integrum inde ab orbita ad medium ossis occipitis copiosa gelatina rubella tegitur. 16) Pericranium inde à medio occipite ad dimidiam ossium bregmatis partem & ultra inflammatum est. Ad marginem superiorem & super media parte sinistri ossis bregmatis pericranium totum sanguinolentum est; qua etiam sede incisum facile ab ipso cranio secedit, quin passim plane non cohaeret, superficie inferiore cruore, in ecchymomatis speciem effuso, vestita. 17) Ibidem pori cranii, vel media inter fibras osseas spatiola cruore, affatim, cum cranium premitur, exsudante, referta sunt. 18) Ad marginem superiorem & sinistram ossis occipitis, infra os bregmatis profunde depressum, vera ecchymomata parua, nigra disseminantur. 19) Pari

Pari modo sugillatio minor, inter pericranium & sinistri ossis bregmatis angulum, qui in loco posteriori superior est, illius facilem secessum, cum simili, ac in altero latere, exsudante cruore, fecit. 20) Modice inflammatae sunt vaginae musculorum extensorum capitis. 21) Facile à cranio dura mater auellitur, sine cruore eam inter & cranium effuso, ipsius licet vasa, maxime in latere sinistro, reliquaque in omni superficie cerebri, etiam qua sede haemisphaeria junguntur, ventriculi formantur, & choroides plexus protrahitur, distributa, quin cuncta in cerebri massam penetrantia, velut ex copiosissimis punctis sanguinolentis, cum percinderetur cerebrum, apparuit, sanguine multum turgeant; pressiois vim minus duram matrem cerebrumque, quam pericranium laesisse, documento. 22) Neque etiam in cerebri ventriculis, notabiliter, tertio praecipue, madentibus, neque ad basin cranii, qua tamen sede non minus, ac reliquis, vasa tum cerebri tum durae matris, sanguinis magnam vim continent, extra vasa cruor diffusus est. 23) Cerebelli habitus ex cerebro de-

b 3 scripto

scripto aestimari potest, nisi quod ad superficiem tenuissimum sanguinis effusi stratum sit. 24) Sine sanguine, vel effuso, vel ultra consuetam copiam vasa inflante, anterior pars baseos cranii super orbitis est.

4.

PVER IN PARTV EX APPRESSO PELVI
CAPITE MORTVVS.

Cum ad extrahendum forcipe foetum velamenta discerperentur, multum meconio conspurcatus amnii liquor effluxit foetumque jam emortuum, vel saltem morti proximum, esse patefecit. Pressus est foetus in partu ad dextram pelvis partem, facie in regionem sinistram inclinata. 1°) Corpusculum succulentum, bene nutritum. 2) *Modica vis sanguinis in thorace est.* Trunci arteriarum majores reti vasculoso, multum repleto, distinguuntur. Nil cruoris ventriculi cordis continent, cujus modica copia in pulmonariis vasis est. 3) Intestina tenuia ita inflammata sunt, vt elegantes & copiosae vasorum arbusculae appareant. Hepatis superficies convexa obscure rubra est, ad lobum dextrum maculis

culis liuidis variegata. Concaua superficies alteram colore obscuro superat. Interna etiam hepatis substantia pallide liuet & ingrate rubet, obscuriori sensim ad margines liuore. Vena umbilicalis, in abdomine cruoris plena, magno & crasso hepatis ponte tegitur. Liuida lienis superficies nigris maculis, & parenchyma, obscure rubrum, albis massulis distinguuntur. Turgent cruore obscure rubro, fluido, venae caua & iliaca. Arteriae iliaca parum sanguinis subfluidi continent & tunica vasculis eleganter picta nitent. Sanguine fere vacuae sunt venae brachii & cruris. Modice plenae sunt venae colli & ex carotidibus incisae aliquid cruoris subfluidi a parte capitis depluit. Apprime repleta vasa thyreoidea glandulam rubore, succis & sanguine perfundunt. Insigniter etiam rubent glandulae salivales. Oesophagus cum pharynge & cardia inflammatus est. 4) Modicam liquoris copiam pericardium comprehendit. Madida, sine sero effuso, viscera abdominis sunt. 5) Consueti sunt pulmonis obscure rubri, ponderosi, acinosi, densi, phaenomena. Dum alter pul-

pulmonum flatu expanditur, subito color in grate rubellum mutatur. 6) Nihil galatinae in scroto est. 7) In oesophago parum mucii pellucis, tenacis, crassi, lenti haeret. Ventriculus plenus pulpae semipellucis, viscidae, subviridis, massulis albis mucosis remixtae. Superficies ventriculi mucosae crassae, tenacis, pertinaciter adhaerente ita tegitur, ut aegrius, & sola conquassatione diu continuata ventriculique agitatione in aqua, illa mucosa crusta à tunica villosa separetur. 8) In prima jejuni parte materies mucosa rubella fit. Sequens pars constricta ad superficiem internam mucosae albo, crassissimo, vix humido, velut velamento quodam, obducitur. In reliqua tenuium parte laxa primum materies tenuis, subfusca est, quae sensim spissior fit, tenax, obscurior, fusca, demum viridis. 9) Aliquid meconii in intestino coeco est; uniuersum colon inde à coeco ad S. romanum vsque constrictum, vacuum, album, serpentino ductu cum variis flexuris incedit. S. romanum, in amplissimam diametrum expansum, meconio crasso repletur. Prima S. romani flexura transuersa, intestino coeco contacto,

ca-

cauam hepatis superficiem ad dextrum lobum tangit; rursusque ad sinistra conuersum intestinum & ad cristam ossis ilium sinistri flexum, in dextram pelvis partem sensim delabitur. In constricto colo plurimae rugae longitudinales deprimuntur. Pars coli & recti ampla & ab expansione tenuis, meconio crasso, viscido, tenaci, ex viridi flauo, repletur. 12) Longa vesicula fellea marginem hepatis ita transcendit ut, in vicinia fundi, margini hepatis extenuato, notabilem sulcum insculpat. Continet fuscum vesiculae cauum mucum tenacem, heterogeneum, e fusco flauum. 13) *Maxima inflammationis vis in capitis partes collata est.* Dextrum faciei latus livet, & praeter opposito tumet. Eminent quoque palpebrae dextri lateris, quarum conjunctivae multum inflammatae sunt, cum modica conjunctivarum oppositi lateris inflammatio sit. Omnis pars superior capillitii apprimè complanata est, in latere dextro elatior, depressior in sinistro. Sinistrum os bregmatis, cuius margines marginibus vicinorum ossium teguntur, mobile multum deprimi potest. Insignis tumor inde ab oculi dextri angulo

c
gulo

gulo externo ascendendo super os frontis, bregmatis dextrum & occipitis protrahitur & ad inferiorem hujus ossis angulum in sinistro latere finitur. Tumoris mobilis, cum integumentis in dextro frontis latere rugosis, inflatis, crassities in medio saltem 9. linearum est. Multum eminent inferior & posterior ossis bregmatis dextri margo; humiles anterior ejusdem & oppositi ossium temporis & occipitis margines sunt. 14) Sub crassis capitis integumentis, ad sedem tumentem, similis sanguinis congelati, subgelatinosi placenta haeret: Sola gelatina, quae incisa in tenuem sensim liquorem destillat, cellulosa replendo, tumorem in fronte inflat: ad frontis partem superiorem & dextram sensim cruor nascitur, gelatinae in idem coagulum admixtus. Tres saltem lineas maxima coaguli crassities ad centrum ossis bregmatis dextri aequat. Longus tumor $4\frac{1}{2}$ poll. ad sinistram ossis occipitis marginem vergit, latus $2\frac{1}{2}$ poll. Totum os occipitis gelatina effusa, & superior bregmatis sinistri pars, juxta suturam sagittalem, sanguine congelato, pollicis longitudine, tegitur. Inde ad marginem

nem superiorem ossis frontis sinistri ecchymosis illa à medio fonticulo 2 pollices in latere sinistro descendit. Variis quoque ecchymomatibus minoribus, quae cum magno coagulo confluent, os frontis sinistram ad centrum usque oblitum est. 15) Sub liuore faciei nil liquoris suffusum est. 16) Pericranium, qua sede ecchymomatibus substernitur, modice inflammatum, cum cranio quidem cohaeret, sed minus, ac alibi, pertinax. 17) Ibidem pori cranii modice, dum cranium premitur, sanguinem eructant. 18) Sanguine & rubore perfusa sunt ossa cranii, quibus in sedibus ecchymomata disperguntur. 19) Nil vel fracturae vel fissurae cranii ossa vitiauit. 20) 21) Arcte cranio dura mater, sine medio sanguine, adhaeret; omnis vero cerebri & interna durae matris superficies tenui cruore effuso vestitur, cunctaque cerebri & cerebelli vasa superficialia sanguine turgent. 22) Parum feri in anteriore utriusque ventriculi apice & productionibus lateralibus est, cujus pellicentis major copia in auis rostrum defluxit. Infundibulum feri sanguinolenti plenum est. 23)

c. 2
Mul.



Multum cruoris fluidi congelatiue tentorio cerebelli & basi cranii aequabiliter incumbit, atque sub tentorio cerebellum vestit. 23) Tenues omnis cerebri membranae sanguine perfusae sunt.

5.

SANGVINIS AB AERE COLOR.

In descriptis aequae atque aliis pluribus suffocatorum cadaveribus memorabilem maxime coloris liuidarum partium mutationem animadverti, quum aliquandiu libero aëri exponuntur. Cruor enim vasis resectis effusus, ecchymomata, liuidaque ex vehementi inflammatione viscera, maxime hepar, sensim in elegantem & floridum colorem coccineum expallescent, quibus sedibus nudata aëris contactui offeruntur: quae vero viscerum partes aliis teguntur, liuorem conseruant. Quin pro lubitu floridam partem tegendo denuo obfuscamus, liuidamque haectenus nudando collustramus. Cruor patina à venae sectione exceptus seroque liber, simili successu istiusmodi periculis subicitur. cf. CIGNA in Miscellaneis Philosophico-Mathe-



thematicis Societatis priuatae Taurinensis anno 1760. T. I.

Sequitur praecipuum hujus scriptionis momentum, cujus causa reliqua praemissa sunt, Vitae, vt ajunt, curriculum

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI

GEORGII AVGVSTI KÖRBER

HANNOVERANI.

Ego G. A. Körber Hannoverae natus sum, anno MDCCXXXIV. Octobris mense, Patre J. G. KÖRBER chirurgo jurato magistratus, hujus vrbs, spectatissimi, anno praeterito pie defuncto, Matre ANNA ROSINA SELLENSTEDT, quam fatum mihi tenerrima aetate eripuit. Pater beatus, cujus in me merita grata semper mente seruaturus ero, nihil omisit, ad bonam mihi praebendam educationem. Itaque optimos magistros, quos, vt par est, adhuc veneror, elegit, quorum opera religione & humanioribus imbutus sum. Anno MDCCCLIV. in Alma Academia Georgia Augusta a Celeb. RIBOVIO, fascies tunc temporis gerente, ciuium academicorum numero adscri-

ptus fui. Hic mihi licuit votis meis satisfacere, & summorum virorum praecepta capere, inter quos vt praeceptores ad cineres vsque colo, Illustr. RICHTERVUM & ROEDERVUM nunc Profectorem Magnificum & Decanum, celeb. VOGELIVM & MATTHIAE, celeb. BRENDELIVM & ZINNIVM ad caelites jam quectos, celeb. HOLLMANNVM & WAHNERVM. Absoluto triennio Lugdunum Batauorum me contuli, vbi praecepta celeb. ALBINI tam senioris quam junioris, celeb. GAVIL & MVSCHEMBROEKII, collegisse mihi gratulor.

Praestitit ita, quae academicae leges Candidatis injungunt praestanda ingenii & eruditionis specimina in priuato examine, vt facile intelligeremus, non sine laude eum ex publico loco a se scriptam Dissertationem *de Arthritide* defensurum esse; quam spem eo magis fouere possumus, quo certiores de indefesso ejus in medicis doctrinis acquirendis studio, ingenii acumine & morum suauitate sumus. Ex ordinis itaque medici decreto è cathedra stabit, praemissa lectione cursoria, *de Tartaro vt causa morborum*, d. 23. h. m. meritosque inde honores in arte medica summos accipiet. Quam
pa-

panegyrii solemnem vt praesentia sua honorificentissima *illustrissimi S. R. I. Comites, Proceres academiae grauissimi, hospites omnium ordinum & dignitatum honoratissimi, ciues generosissimi nobilissimique*, illustrem reddere velint, ea qua par est obseruantia, ordinis medici nomine rogo. P. P.
in academia Georgia Augusta, sigillo ordinis medici. d. 20. Mens. Oct.
MDCCLX.



132
Joh. Georg. Koeders
pogr. 214.

Observat. de infantibus in partu
suffocatis. ad Diss.

Koerberi de Arthritide.

Gitting. ij 20 oct.
1760.